

gellii verba hanc vim habent: *Euntes docete docentes, qui crediderit, & crediderit* &c. quem valde absonum loquendi modum ταυτολογίαν G. Jaci dicunt, & vix poetis concedunt. Altera Socinianorum exceptio facillime refellitur. Apostolus dicit: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*: quia revera non principaliter ad hoc missus erat a Christo, ut baptizaret, sed ut evangelizaret; præcipuum enim Apostolorum munus fuit Divini verbi prædicatio. Similes autem locutiones, ut observat Cl. Natalis Alexander, occurrunt in Scripturis; sic Hierem. 7. 22. *Misericordiam volo, & non Sacrificium*. Sic vero intelligenda esse verba Apostoli, ratio ipsa suadet; fatetur enim, se baptizasse Crispum, Cajum, & Stephanæ domum; aut igitur dicendum, Apostolum sine Missione id fecisse, aut utrumque munus illi fuisse demandatum, prædicationis scilicet, & administrationis Baptismi. Si primum absurdum, secundum necessario affirmandum. Ad tertium argumentum respondeamus, nullam esse vim argumenti pure negativi, tunc præsertim cum plura extant argumenta positiva, quæ rei veritatis certiores nos reddunt, ut pluribus ostendit Theophilus Rainaudus in suo libro, cui titulus: *Hercules Commo-dianus*. Ex illis autem verbis Io: III. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, optime conjicit S. Augustinus l. 3. de anima c. 9. etiam Apostolos fuisse baptizatos. Si ipsos Apostolos baptizatos esse, per hoc nobis innotescere potuit, quod beato Petro Dominus ait: *Qui lotus est, non indiget nisi, ut pedes lavet*; quid de aliis, de quibus vel tale quid nihil legimus dictum, de Barnaba, de Timotheo, de Tito, de Sila, de Philemone, de ipsis Evangelistis Marco, & Luca, de innumerabilibus ceteris, quos absit, ut baptizatos esse dubitemus, quamvis non legamus? Ab ultimo Socinianorum argumento sic tandem possumus nos breviter expedire. Si verborum proprietatem, & notionem intelligimus, illud necessarium fateri debemus, necessitate mediæ, sine quo finem consequi impossibile est, illud necessitate præcepti, sine quo (citra contemptum) salutem æternam consequi possumus; disparitas ergo, quæ inter Sacramentum

Ba-